

## **LOREM IPSUM**

### **Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem**

*Tempore quo primis auspiciis in mundanum fulgorem surgeret victura dum erunt homines Roma, ut augeretur sublimibus incrementis, foedere pacis aeternae Virtus convenit atque Fortuna plerumque dissidentes, quarum si altera defuisset, ad perfectam non venerat summitatem.*

Inter quos Paulus eminebat notarius ortus in Hispania, glabro quidam sub vultu latens, odorandi vias periculorum occultas perquam sagax. is in Britanniam missus ut militares quosdam perduceret ausos consiprasse Magnentio, cum reniti non possent, iussa licentius supergressus fluminis modo fortunis 5 conplurium sese repentinus infudit et ferebatur per strages multiplices ac rui-  
nas, vinculis membra ingenuorum adfligens et quosdam obterens manicis, cri-  
mina scilicet multa consarcinando a veritate longe discreta. unde admissum est  
facinus impium, quod Constanti tempus nota inusserat sempiterna.

Adolescebat autem obstinatum propositum erga haec et similia multa 10 scrutanda, stimulus admovente regina, quae abrupte mariti fortunas trudebat in exitium praecipit, cum eum potius lenitate feminea ad veritatis humanitatisque viam reducere utilia suadendo deberet, ut in Gordianorum actibus factitasse  
Maximini truculentii illius imperatoris rettulimus coniugem.



### **Illud tamen te esse admonitum volo**

Illud tamen te esse admonitum volo, primum ut qualis es talem te esse omnes existiment ut, quantum a rerum turpitudine abes, tantum te a verborum libertate seiungas; deinde ut ea in alterum ne dicas, quae cum tibi fal-

5 so responsa sint, erubescas. Quis est enim, cui via ista non pateat, qui isti aetati atque etiam isti dignitati non possit quam velit petulanter, etiamsi sine ulla suspi-  
cione, at non sine argumento male dicere? Sed istarum 10 partium culpa est eorum, qui te agere voluerunt; laus pudoris tui, quod ea te invitum dicere videbamus, inge-  
nii, quod ornate politeque dixisti.

Nemo quaeso miretur, si post exsudatos labores itine-  
rum longos congestosque adfatum commeatus fiducia 15 vestri ductante barbaricos pagos adventans velut muta-  
to repente consilio ad placidiora deverti.

### **Novo denique perniciosoque exemplo idem Gallus**

Novo denique perniciosoque exemplo idem Gallus ausus est inire fla-  
gitium grave, quod Romae cum ultimo dedecore temptasse aliquan-  
do dicitur Gallienus, et adhibitis paucis clam ferro succinctis vesperi 5 per tabernas palabatur et compita quaeritando Graeco sermone,  
cuius erat inpendio gnarus, quid de Caesare quisque sentiret. et  
haec confidenter agebat in urbe ubi pernoctantium lumen claritu-  
do dierum solet imitari fulgorem. postremo agnitus saepe iamque, si  
prodisset, conspicuum se fore contemplans, non nisi luce palam  
10 egrediens ad agenda quae putabat seria cernebatur. et haec quidem  
medullitus multis gementibus agebantur.